



39

COLLEGII THEOLOGICI
IN
ACADEMIA WITTEBERGENSI
PRO-DECANUS
Jo. Fridericus Mayer,
Lipſienſis,
S. Theol. Doct. & Prof. Ordinar.
Alumnor. Electoral. Ephorus, Templi OO,
SS. Præpoſit. Subſtitutus.
LECTORI
Felicia omnia!



Typis Matthæi Henckelii, Acad. Typogr.
ANNO CHRISTI 1716 XXCVI.



Sextum supra decimum Aprilis di-
em religiosa veneratione adhuc excepimus & excipiat,
semper, si quæ futura est posteritas. Eum enim magnæ
si dixeris felicitatis in universam Jesu Christi Ecclesiam
redundantis largitorem, dixeris quidem, quod res est. Dedit is Virum
Maximum & qui omnia longè excedit encomia, ABRAHAMUM CA-
LOVIUM, Doctorem & Professore Theologiæ Primarium & hinc te-
nus hæc illuxit nunquam, quin verba bona Diei huic dicerent, quibus re-
ligionis amor curæ cordique erat. Inde gratulantium undique con-
cursus factus, magna præconum multitudo stetit, qui digni quidē, ut laudes
tuas, Dive pater, decantarent, visi, at nondum suffecisse deprehensi, ex-
pressam rem & expeditam tandem arbitantes, si infinitos ejusmodi di-
es precarentur; piissimi collegæ, quos omnes pietate filio debita sub-
missoque animo prosequor & quoad superero, semper venerabor, his
quoque se adjungi voluerunt fausta ominantibus, Ecclesiæque incremen-
tis & accessionibus, quas fieri CALOVII nostri tum superstitis opera vi-
debant, maximopere gaudebant susceptis & solutis pro incolumitate No-
stro impetranda à Benignissimo Numine precibus religiosis oppido &
votis. Quibus cum ego semel interfuerim, plures mihi fundi diversis
exoptavi temporibus; quod quidem ardentissime petii & oravi Deum
de isto consequendo, sed non exorare potui. Recurrit ad diem Veneris Nata-
lis, sed proh! omni jucunditate exclusus; inter vivos namque jam esse
desiit, quemcunque designavit. Vix plura poterò, reliqua quippe do-
lore excluduntur & nisi me inanis conjectura fallit, vester quoque ani-
mus cum meo pariter meminisse luctu refugit, quum Magnum CA-
LOVIUM abiisse atrati longo ordine Patres recensebant. Hinc illæ e-
rant lachrymæ, hinc illa etiamnum misericordia! quæ & illi movebun-
tur, qui multa post nos numerabunt secula. In horum autem animis
ut arctius doloris magnitudo hæreret, Veneranda Facultas Theologica
id mihi negotii dedit, Oratione Panegyrica confici, & quæ dicenda e-
rant bona verba, in lessum verti; cujus nunc expediendi Thraces mihi
socios malle natale Festum lachrymis dicantes & singultiendo tristitia
pronunciantes, testibus *Herodoto L. V. C. IV. Solino-Polybist. c. XV. Me-*
la

la L. II. c. II. *Valerio Maximo* L. II. c. VI. n. 12. quam Romanos rem
 sacram Diis facere, thura adolere, convivia agitare, dona accipere & red-
 dere, vota admittere, vestimentis superbire albicantibus & varia lætitiæ
 exhibere signa solitos. In hoc enim cum memoriæ magni viri recoli-
 mus, prima ejus incunabula repetendo & ultima addendo fata, quibus
 tandem beatus ille vir extinctus fuit, in tristissimas nos conjicimur quiri-
 tationes intuiti jacturam, quam oppido damnosam accepimus, penitus-
 que nostra intelligentes bona, cum quæ in nostra habuerimus potestate,
 amiserimus. Quod potissimum gentilibus censendum obvenisse; qui
 non speratis post mortem fati melioribus rem conclamatam esse sibi
 persuadebant; suorum tamen post ultima celebrabant natales, quibus
 tum felicitatis pristinae memores tum acceptæ quoque recordati cladis
 æternitati nomina illorum consecrabant. Quod officii genus à *Seneca*
 præstitum testatur epist. LXIV. *Quidni ego, inquit, magnorum viro-
 rum & imagines habeam, incitamenta animi & Natales celebrem? quid-
 ni illos honoris causa semper appellem? Marcum Catonem utrumque
 & Lelium sapientem & Socratem cum Platone Zenonem Cleanthemque
 in animum meum sine dignatione summa recipiam? Ego vero illas ve-
 neror & tantis nominibus semper assurgo.* Quæ ipsa ferme verba *Ja-
 cob. Thomafus* in Not. ad *Plinii Secundi* epist. VII. L. III. citat, post-
 quam ex *Buchn.* præmisisset subsequentiæ: *Solebant magnorum & ex-
 cellentium Virorum natales, viventium non modo honoris; sed mortuo-
 rum etiam, memorie ac venerationis causa, celebrari.* Huc faciunt
 quæ *Plinius* cit. laudato loco de *Silio Italico* refert, *Multum* (*Silio Itali-
 co*) ubique librorum, multum statuarum, multum imaginum, quas
 non habebat modo, verum etiam venerabatur: *Vergilii* ante omnes, cu-
 jus natales religiosius, quam suum, celebrabat; *Neapoli* maxime, ubi mo-
 numentum ejus adire ut templum solebat. Quod ipsum exhibuit *Mar-
 tial.* in natali *Lucani* L. VII. Epigr. XXI. v. 1.

Hæc est illa dies, quæ magni conscia partus
 Lucanum populis & tibi, Polla, dedit. Epigr. XXII. v. 1.

Vatis Apollinei magno memorabilis ortu
 Lux redit: Aonidum turba favete sacris. Epigr. XXIII. v. 3.

*Quid tandem pro luce precor? tu, Polla, maritum
 Sape colas & se sentiat ipse coli.*

Atque hoc *Blæso* cuidam tributum quoque idem refert L. VII. n.
 XXXVII. quod cum elegantius ritum istum exprimat, & nos adscribe-
 re nulli dubitamus:


*Præstas hoc, Melior, sciente fama
 Qui solemnibus anxius sepulti
 Nomen non finis interire Blæse*

) (

Et

*Et de munifica profusus arca
 Ad natalitium diem colendum
 Scribarum memori pieque turba
 Quod donas facis ipse Blesianum.
 Hoc longum, tibi vita dum manebit,
 Hoc & post cineres erit tributum.*

Nonnulli autem, quos conscientia rerum gestarum admonebat non ar-
 dens adeo se sui esse relicturos desiderium, legatis bonis ad hæc solven-
 da iusta cogebant. Atque huc non incommode accommodaveris ex
 testamento Epicuri Philosophi, cujus verba ex *Diog. Laert. L. X. pag. 718.*
hæc accipias: Ex earum rerum reeditibus, quæ à nobis legate sunt, cu-
rent, ut natalis dies parentibus & fratribus ac nobis quotannis solenniter
agatur. Nos nullo pretio conducti, sed memoria meritorum ejus in u-
 niversam Christi Ecclesiam & hanc potissimum Academiam collatorum
 obstricti Natalem martyris hujus (ignoscite mihi & finite hoc eum deno-
 minari nomine; revera enim martyrem dixerimus, perpenis, quos supe-
 ravit pertulitque æquo animo laboribus, curis pariter & animi sollicitudi-
 nibus, quanquam incruentum) celebramus & ceu primæ receptum erat
 Ecclesiæ diem obitus martyriique sacrorum Antistitum Natalitia dicere
 atque agere consuetæ, propterea quod *cum putantur consumti iusti, ori-*
antur ut luciferi. Inde est quod sanctorum obitus Natalitia vocari
Ecclesiasticus usus obtinuit, quia quod sunt infanti angustie materni ute-
ri ad hujus aëris libertatem, hoc est iustis hujus conversationis ærumna ad
futurae glorie amplitudinem, ita Radulfus Flaviacensis monachus L. IV.
in Levit. c. 1. hunc Natali sacrum non ut olim gaudio solemnem degi-
mus, sed summa potius animi perturbatione affecti in luctu & squalore
jacentes hujus viri, quem nostra VVitteberga tenuit, toto autem orbe su-
perioris virtutes in memoriam vocamus, & insignem cœlitusque mis-
sum herosa cecidisse ostendimus. Dabimus id vobis ob oculos, cum
 quanta nobis beneficia & posteris præbuerit, quanto cum studio bella
 adversus hostes Domini sacra gesserit, CALOVIVM in *Athanasii here-*
ticorum mallei umbra dabimus. Adeste his sacris, Magnifice ACA-
 DEMIÆ RECTOR, ceterique Patres conscripti, date pietati hoc, quam
 Viro, demortuo quidem, vobis tamen omnibus adhuc superstiti debetis;
 date id non meis solum, sed totius Theologorum Collegii obnixis preci-
 bus: adsitis etiam iisdem, Cives Academici, quibus hujus Viri nomen
 non æternum modo esse atque integrum, sed & liberis servandum tradi
 volumus. Adeste denique omnes atque singuli, qui vobis unquam
 studium religionis aut veritatis retinendæ inhærere me-
 mineritis. Valete.





39

COLLEGIUM THEOLOGICUM
IN
ACADEMIA WITTEBERGENSI

PRO-DE
Jo. Frideric
Lipfi
S. Theol. Doct. &
Alumnor. Electoral. H
SS. Præposit
LECT
Felicia



Typis Matthæi He
ANNO CHRISTI

